



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio I. Dde regno totius mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPUTATIO LXXXI.

Vtrum Christus vt homo sit rex totius mundi, & dominus rerum omnium?

SECTIO I. De regno totius mundi.

SVBSECTIO I. Conclusio.

SVBSECTIO II. Opposita sententia.

SECTIO II. Vtrum Christus iure hereditario à parentibus sit rex Iudeorum?

SVBSECTIO I. De sententia affirmante.

SVBSECTIO II. Examen testimonij Christi de suo regno.

SVBSECTIO III. Ea explicatio auctoritate probatur.

SVBSECTIO IV. Christus non fuit à matre rex Iudeorum.

SECTIO III. Vtrum Christus habuerit dominium omnium creaturarum?

§.1. **N**ON est quaestio de Christo vt Deo, sed vt homine: quia vt Deus solus est rex; ceteri autem ab eo habent potestatem illi subiectam. Hæc autem quaestio tres est amplexa: Primam, vtrum Christus sit rex directè omnium terrarum? Secundam, vtrum hereditario iure à parentibus sit rex Iudeorum? Tertiam, vtrum habeat dominium directum rerum omnium sublunarium?

§.2. Christum esse regem aut temporalem, aut spiritualem, apud Catholicos non potest esse dubium; cum ipse Christus dixerit Pilato se & regem esse, & in regno natum: egit autem de se vt homine, vt constat ex textu: & quia de eo vt homine erat accusatio: & angelus prædixit B. Virgini Christum regnaturum in domo Iacob, & in sede Dauid in æternum: Magi autem eum quaesierunt adorandum vt regem Iudeorum, non ex electione hominum, aut hereditate; sed natura, *Vbi est, qui natus est rex Iudeorum*: cum adhuc Herodes esset in regni possessione.

SECTIO I.

De regno totius mundi.

SVBSECTIO I.

Conclusio.

§.3. **D**ico Christum vt hominem fuisse regem temporalem totius orbis, eumque fuisse Imperatorem, habentem ius in omnes reges: quos suo arbitratu poterat dirigere, eis ferre leges; non minus quam ipsi ea possunt in suo regno. Hæc conclusio perspicue est B. Thomæ q. 22. art. 1. ad 3. vbi ait in Christo esse tria munera, quæ solent esse in tribus hominibus, nempe ius legislatoris, iudicis, & regis. idem dicit inferius q. 59. art. 4. vbi asserit eum fuisse regem: at noluisse in terris viuente administrare regnum temporaliter. clarè etiam id repetit opusc. de Regimine principis cap. 12. & 13. Alij Doctores id etiam affirmant, quos refert & sequitur PP. Ragusa disp. 25. §. 1. Vaquez disp. 87. cap. 2. Suarez disp. 48. lect. 4. est que valdè communis doctrina apud Theologos, & peritos Iuris.

§.4. Probatur Primò ex psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra. Reges eos in virga ferrea.* Argumentum eius psalmi esse de Christo vt homine, est sine controuersia: sic enim exposuit hunc psalmum cæterus fidelium cum Apostolis Act. 4. 26. *Asiterunt reges terra, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Hic autem conuentus fuit aduersus Christum vt hominem. At possessionem illam habet Christus vt homo: quia vt Deus, nec est heres, nec eget postulatione, saltem ex pacto Dei: ergo Christus vt homo est rex to-

tius terræ. Eam autem possessionem esse temporalem, rectè docet Bernardus lib. 3. de Considerat. ad Eugenium. *Dispositio tibi (inquit) super orbem tradita est, non data possessio. Non tu ille, de quo Propheta ait, Et erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris: cui enim alteri dictum est, Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra? Possessionem & dominium cede huic, tu curam illius habe.* Nec solum egit Bernardus de dominio spirituali, sed de temporario: etenim Ecclesiasticum regnum & principatus est penes Papam. quod Bernardus appellat *dispositionem & curam*: dominium autem negat.

§.5. Nec potest Papa dici absolutè dominus mundi, nec mundus potest esse eius possessio, licet habeat principatum spiritualement: dominium enim & possessio significat temporalem potestatem. Ob quod dixit Bernardus Eugenio datam dispositionem, & curam spiritualement, dominium & possessionem Christo. Ratio item Bernardi æquè probat vtrumque: licet enim titulo redemptionis, non accepisset dominium temporale (quod etiam accepit: at titulo creationis accepisset: quia Christus absolutè creauit mundum, quia creauit vt Deus. quia ergo in eadem persona erat titulus creationis, propterea eadem vt humana habuit dominium rerum omnium, quas eadem, vt diuina, creauerat. Item & dono Patris, qui filio naturali omnia donauit, cū omnia propter ipsum effecerit.

§.6. Ex eodem psalmo idem probat B. Anselmus adducendus §. 8. ac colligitur clariùs: *Ego autem constitutus sum rex ab eo.* Vbi Cassianus Christo vt homini adscribit potestatem constituendi reges. quod pertinet ad Imperatorem, qui olim dabat regibus inuestituras: quod non semel fecere Romani. Lyra ait Christum constitutum regem super

SUBSECTIO II.

Opposita sententia.

super omnem creaturam: at in irrationalibus non est regnum spirituale, sed temporale: ergo Christus fuit rex temporalis totius orbis. Basilius id dixit apertius: Nam ut Deus (inquit) omnia per ipsum facta sunt, verum cum natura ut Deus, sit omnium dominus, ut homo tamen horum dominium à Patre accepit. En Basilius dominium omnium creaturarum adscribit personæ Christi, ut Deo quidem per naturam; ut homini autem per donum Dei: eorum enim omnium, quæ creauerat ut Deus, constituit dominum dono Dei. Patres autem exponentes hoc regnum de fide Ecclesiæ per totum orbem, non excludunt dominium rerum omnium.

§. 7. Ex cap. 1. ad Hebræos, *Quem constituit heredem vniuersorum*: idem colligitur non obscure: etenim Strabus eum vocat *possessorem omnis creaturæ*. Primasius inquit, *Constitutus est ille dominus super omnem creaturam*. Idem dicit Lyra: quia ratione vniuersionis Christus est dominus cuiusque creaturæ. Nec solum egit de hominibus, sed de omni creatura, quæ ab illo ut Deo prodijt, & ut homine est sub eius imperio, ut ex S. Bernardo dixi §. 4. *Recognosce PP. Iustinianum, & Cornelium in epist. ad Hebræos, ubi ait Christum ut hominem esse dominum vniuersorum, id est, omnium bonorum Patris. Clarius id docet Lud. Tenas in idem cap. 1. difficultate 3. sect. 4.*

§. 8. Sufficeret Anselmus in id caput ijs verbis: *Quem ipse Pater secundum humanitatem constituit immutabilem heredem vniuersorum, id est, possessorem omnium creaturarum, atque totius mundi dominum: ut iam non sit tantum Iacob funiculus hereditatis eius, sed factus, quod scriptum est: Dabo tibi Genes hereditatē tuam, & possessionem tuam terminos terra.*

§. 9. B. Chrysost. tom. 4. homil. 1. in eum locum est ab eadem conclusione ijs verbis: *Hereditatis autem vitur nomine, ut duo quadam per hoc ostendat, & quod proprius sit filius, & quod dominationis illi nulla contingat amissio. Heredem autem omnium dicit, mundi totius. Remigius explicans id Matthæi c. 28. Data est mihi omnis potestas, ait, Antequam Dominus surrexisset à mortuis, nouerant angeli se subiectos homini Christo: id est, Christo ut homini. Possent afferri in hunc scopum multa.*

§. 10. Rationem rectè colligunt Patres adducti ex vnione hypostatica. item Seuerus in Catena B. Thomæ in Matth. 28. *Data est mihi*. Christus ut homo est filius naturalis Dei: ergo est heres Dei non solum in principatu spirituali, sed etiam in temporali. Probo consequentiam. Paulus ex filio etiam adoptiuo intulit hereditatem, & cohereditatem Christi: quem quia filius est, constituit vniuersorum heredem: ut enim bona spiritualia debentur Christo, ut homini, titulo hereditatis; quidni & temporalia? S. Bernardus, quia eadem persona Christi creauit vniuersa, censuit ad eandem ut hominem vniuersorum spectare dominium. & quidem ex terminis videtur liquere decentissimum esse, ut Christus sit caput orbis in omni genere supremæ monarchiæ: totus enim mundus & uterque mundus est in honorem Christi: ergo cuncti mortales eius parent imperio: rebusque omnibus potest Christus sua voluntate uti citra alicuius iniuriam.

§. 11. Christum, ut hominem, caruisse temporali mundi monarchia, testatur P. Maldon. in Matth. 27. 11. *Quam sententiam ait esse B. Augustini tom. 9. tract. 115. in Ioan. & omnium bonorum Theologorum. Hi videntur esse Victoria, Sotus. Ioan. Parisiensis, Barth. Medina, Waldensis, Abulensis, Burgenfis apud P. Ragusam. Nec omnes apertè: cui opinioni subscribit P. Baptistia Poza in Elucidario lib. 2. tract. 11. cap. 3.*

§. 12. Cui opinioni non parum fauet Augustinus tom. 9. tract. 115. in Ioan. ubi quod Christus Pilato respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, exponit de regno spirituali, excluso temporario. Consensisse videtur Hieron. in cap. 22. Ierem. & alij Patres. quibus vno verbo respondeo, regnum spirituale Christi non pugnare cum temporali: ob quod quando Patres meminere spiritualis, non excludunt temporale. Quod verò aiunt August. & alij regnum Christi non opponi regum dominationi, rectè dicunt: quia Christus in via abiecit vsum & administrationē temporalem: ius autem non abiecit; quo poterat, si vellet, dominari.

§. 13. Secundò probant eam opinionem: quia Christus nullo titulo habuit tale dominium: non naturaliter, quia nos fuit filius alicuius regis, cui succederet in regno: non successione, quia non fuit magis propinquus alicuius monarchæ, cui succederet: non electione, nec bello iusto: ergo non fuit rex totius orbis. Nego antecedens. Ad probationem respondeo ex B. Bernardo, Christum esse regem bello iusto, quo dæmone fugato, homines redemit, quos fecit esse sibi subiectos etiam in temporalibus; quorum corpora vendicauit ab inferis. item electione Dei. tandem creatione: licet enim ut homo non creat; at eadem persona Deus erat: propter vnionem autem ad eandem personam, diuinitas communicauit humanitati dominium, ut ex Seuero dixit S. Thomas adductus §. 10. Hæ rationes redditæ sunt à S. Bernardo §. 4. Addo titulum esse etiam naturalem: quia est naturalis & vnicus Filius Dei, rerum omnium monarchæ: cuius est heres naturalis sine successione: quia nec Deus moritur, nec potest non repugnare: at cum eo regnat Filius ut homo: ob quod Patres in 1. ad Hebræos dicunt, ex omnium hereditate monstrari Christum esse Filium Dei. Anne tituli defunt Christo regi sæculorum?

§. 14. Hinc arguunt Tertio: si vnio hypostatica communicaretur naturis tribus ad tres personas; omnes haberent idem ius, essentque tres monarchæ: sed hoc genus reipublicæ monstruosum esset contra statutas Philosophorum definitiones: ergo. Maior est certa ad hominem: quia ubi est eadem ratio regni, est idem titulus & ius. Minor patet: quia monarchia deuoluitur ad vnum solum supremum principem: quo differt ab aristocratia & democratia, in quibus principatus pertinet ad plures. Confirmatur. si vna persona vnisset sibi naturam angelicam, & alia humanam, stabilirent leges oppositas: quia homo sese magis inclinaret in homines, in angelos angelus: essetque ex utraque parte bellua iustum.

S. Thom.
q. 22.

§. 15. Respondeo, posse contingere ne tres illæ personæ iisdem titulis essent ad regnum. Angelus enim Deus non posset homines redimere morte: posset autem Deus-homo: at hic est vnus titulus. Tunc autem posset homini-Deo deferri monarchia, non verò Deo-angelo. Secundò, solà vnio hypostatica fundat dignitatem ad monarchiam ratione creationis & hereditatis, & propter excellentiam vnionis: at Deus potuisset liberè imperium deferre vni personæ, non verò alijs. Affero, regnum sequi naturaliter vnionem: at non inseparabiliter de potentia absoluta. Posset tunc Deus illud adscribere, cui personæ veller: vt nunc illud detulit Christo liberè etiam ex suppositione vnionis. Tunc autem sufficientem rationem haberet præficiendi vnã personam solam, ne monstrum illud emergeret: cum autem nunc id non contingat propter perfectam monarchiam Christi, cur, obsecro, est negandum eius imperium propter incommoda, quæ possent euenire ex multitudine monarchiarum?

§. 16. Secundò respondeo, potuisse Deum vnire tribus personis eas tres naturas, & illas simul perficere putis creaturis cum eadẽ potestate. Anne definitiones rei publicæ, quas lumine naturæ affecuti Philosophi, obsunt omnipotentiæ Dei: esset illa respublica aristocratica, in qua dominantur soli nobiles: essent quæ tres supremi reges purarum creaturarum. Ad incommoda respondeo Primùm, posse regnum ita componi, vt leges ferrentur communi consilio, non verò priuato vnus: vt in aristocratia contingit: priuata autem decreta exequerentur puræ creaturæ à personâ, quæ primò aliquid præcepisset; quæ autem posterius, non posset reuocare alterius decreta: esset autem (vt aiunt) ad præuentionem. Vnde eueritur omne bellum iustum: quia leges publicæ essent ferendæ à maiori parte; priuata autem iussa essent ad præuentionem.

§. 17. Hæc pingui Minerua postulatur argumento: at existimo principatum illum futurum monarchicum: tamen si tres essent supremi reges, quorum voluntates creatæ, & earum actus essent tres; obiectiuè autem esset vna: quia idem vellent omnes, & nolent. Deus enim esset necessariò sequendus, quin illæ possent à diuina voluntate absonare: cum autem Deus non posset habere oppositas voluntates, nec illæ tres personæ vt homo, aut angelus, possent opposita velle; in his autem, quæ eorum arbitratu committerentur, possent per scientiam beatam & infusam sibi morem gerere: cognoscerent enim esse voluntatem Dei. Hinc collige perfectum dominium eiusdem rei pro indiuiso posse plures creaturas habere: quia Deus potest efficere, vt nulla possit velle, nisi quod altera: quia potest vnione hypostatica & scientia beata aut infusa efficere, vt necessariò sequantur natum Dei: qui potest velle, vt altera cognoscens voluntatem alterius, non possit oppositum velle: libertas autem erit in veritate actuum & omissionum purarum. De dominio duorum pro indiuiso egi disp. 12. sect. 2. Culpatum autem dissidium in eas voluntates creatas cadere non posset: si autem esset aliquid inculpatum, statim componeretur cognita voluntate Dei. Sunt ergo tres reges physicè; moraliter autem vnus: ob quod respublica esset monarchia: quia moraliter haberet vnum regem solum inter puras creaturas, potentes iurgari, dum Deum

non vident; esset incommodus ille principatus, non tamen in personis incapacibus peccati, aut vnione hypostatica, aut visione Dei.

§. 18. Vltimò arguunt: Reges sunt principes supremi: ergo carent Superiore in temporalibus. Secundò, sunt domini: ergo non pendent ab alio. Respondeo Primùm, non esse contra rationem regis habere inuestituram ab Imperatore: vt olim multi reges Christiani habuerunt, & Romani reges constituere non paucos, sibi tamen subiectos; cur non possent ita à Christo pendere? Secundò respondeo, Christum esse regem solum quoad dignitatem & dominium, quò posset vt omnibus creaturis pro libito; vsum tamen non accepit, sed illum hominibus reliquit, eis permittens suprema inter homines potestate. ob quod dixit B. August. tract. 115. in Ioan. dominationem regum non impediri regno Christi. Tandem homines sunt domini supremi infra Deum, qui tamen illorum est rex: Christus autem absolute est Deus. ob quod ei subijci vt Deo & homini, non obest potestati supremæ: quia subiectio est absolute ad Deum; non verò ad alium, qui Deus non sit.

SECTIO II.

Vtrum Christus iure hereditario à parentibus sit rex Iudæorum?

§. 19. **V**s hereditarium à parentibus est titulus iustus occupandi regnũ: quia qui occupat, est filius & heres, ad quem spectabat regnum. Hæc quæstio non est de alijs regnis: quia non agitur de iure quod Christus habet, quia est filius naturalis Dei; sed quia est filius Mariæ, quæ iure hereditario non poterat occupare alia regna: at dubium est de regno Iudæorum. Nec quæstionem propono de Ioseph: cum enim ille non sit pater Christi, non potuit illi legare ius in regnum, tamen si illud haberet, quia esset cum iniuria eorum, qui Iosepho succederent carenti liberis. Est autem solùm difficultas, vtrum Maria fuerit hereditario iure regina Iudæorum, illud quæ ius transmisit in Christum?

SVBSECTIO I.

De sententia affirmante.

§. 20. **A**ffirmant Armacanus lib. 4. de quæstionibus, Armon. cap. 15. & 16. Baconius q. 1. Prologi art. 2. concl. 2. & qu. 11. art. 3. Burgenf. in addit. 2. in cap. 1. Matth. Alf. Mendoza relectio-
ne de Vniuersali Christi regno, P. Azor lib. 2. Institut. moral. cap. 15. P. Poza lib. 2. tract. 11. cap. 3. & alij non indocti. Quibus adde P. Maldon. in Matthaum cap. 27. 11. qui rem hanc ait esse dubiam: qui neutram in partem flectitur. Pro qua adducuntur hæc Athanasij verba in oratione de sanctissima Deipara: *Accepit Iesus thronum Davidis corporaliter, & ratione persone, qua pater illi David fuit.* Respondeo, eo testimonio probari potius Christum non solum habuisse ius regni, sed etiam vsum: quia accepit thronum corporaliter. Loquitur Athanasius de throno, quem reipla possedit: qui thronus fuit spiritalis, non temporalis. id autem etiam ratione profapiae: quia promissus fuerat Dauidi